A *Natus Alcmena posuit pharetram,*
Et minax vasti spolium leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distinctò religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clavam modò quagerebat,
Fila deduxit properante fuso.

THEMISTOCLES, ut Idomeneus est testis, cùm amicarum currum junxisset, foro pleno per civitatem ivit. Erant autem ipsæ Lamia, Scione, Satyra, Nannium. *Athen. lib.* 13. *c.* 13.

MILONIS Crotoniatæ vires multorum sermonibus celebrantur, qui corporis robore adeò valuit, ut nemo adversariorum malum, quod in manu tenebat, eripere potuerit. Atqui amasia ejus nullo negotio exemit, sæpè cum eo colludens. Ex quo perspicuum est, Milonem corpore plus quàm virum, animo autem plus quàm feminam extitisse. *Ælianus lib.* 2. *de Varia hist.*

M. ANTONIUS triumvir Cytheridem mimam circumduxit lectica, eamque non minor comitatus, quàm matris ipsius B sequebatur. *Plut. in Antonio.*

CONSTANTINUS Monomachus Imp. monasterium Manganorum, in gratiam Sclerenæ pellicis, extruere cœpit: ut eam tum in domo venatoria habitantem, prætextu contemplandæ structuræ, crebriùs invisere liceret. *Zonaras tom.* 3.

Rixam, Contentionem.

Ausonius de suis amoribus sic scribit:

Hanc volo, quæ non vult: illam quæ vult, ego nolo.
Vincere vult animos, non satiare venus.
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas:
Nec satiare animum, nec cruciare volo.

Ejusdem quoque sunt hi versus:

Sit mihi talis amica velim,
Iurgia quæ temerè incipiat,
Nec studeat quasi casta loqui,
Pulcra, procax, petulante manu:
Verbera quæ ferat, & regerat,
Casaque ad oscula confugiat.
Nam si moribus his fuerit,
Casta, modesta, pudemter agens,
C *Dicere abominor, uxor erit.*

Obsequium.

SALOMON rex ob libidinem lapsus in scelus idololatriæ, coluit Asthartem deam Sydoniorum, Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum, circa 46. annum ætatis suæ: & tantùm sex alios annos supervixit. Et licèt priùs nominaretur Idida, id est, amabilis Dei: posteà mulierum amator vocitatus est, *auctore Hieron.*

ALEXANDER victo Dario Persepolim reversus, intempestivis conviviis & immodica temulentia fœdare cœpit nobilissimæ victoriæ laudem. Adhibebantur castrensia scorta regio convivio, & in his Thais Attici generis femina, omnium, quæ castra sequebantur, ob excellentem formam, nobilissima, quam posteà Ptolemæus regnans scortum habuit. Hic quum jam in multum vini rex & alii provecti essent, illa Alexandrum allocuta dicitur: Maximum, inquit, Rex omnium laborum, quos Asiatica sum expeditione perpessa, hac nocte fructum percepi, quòd in superbissima Persarum regia Alexandri regis invictissimi convivium celebro: sed multò majorem perceptura, si Xerxis regiam, qui nostras olim Athenas cremavit, mea D manu incendero, quod & tibi gloriæ sit, si ad posteros tradatur, ut Atticæ mulieres secutæ Macedonum castra, patriæ excidium fuerint ultæ: quod tot classes, tot exercitus, tot duces, ex terra Græcia profecti, ad id tempus ulcisci nequivissent. Hæc illa: atque unà spectante rege facem accendit. Plausus confestim & tumultus toto conclavi oritur, cæterisque ad id facinus hortantibus, ebrius Imperator ebrium scortum secutus, facem & ipse corripuit: idem alii faciunt, clamoreque sublato ad regiam incendendam discurrunt. Milites qui extra urbem tendebant, flammam conspicati, rem fortuitam rati, cum aqua in urbem concurrunt. Ibi regem inter cæteros materiam igni suggerentem intuiti, abjecta aqua, alacri animo & ipsi faces subdunt. Nemo erat, cui non persuasum esset, excisa regia urbe, Alexandrum retrò abiturum, atque ita fore, ut victores & præda onusti brevi domum reverterentur. Et domus illa inclyta, tot regum altrix, totius orientis imperatrix & domina, Græciæ & cæterarum gentium terror, hunc infelicem habuit exitum, quæ decem millium navium classem aliquando instruxerat, exercitus tam numerosos coegerat, ut maria pedibus pervia fecerint, montes à continenti abscinderint, flumina uno haustu exficcarint, per ludibrium meretricia manu incensa & excisa est. Urbs quoque cum regia absumpta est, ut procedente tempore, ubi Persepolis fuisset, ignorari potuerit, nisi Araxis vicinitas, qui ad viginti stadia præterfluebat, insignem locum fecisset. Fuerunt, qui ejus consilii Alexandrum ignarum fuisse crederent: sed nemo alius tantum fuisset facinus patrare ausus. *Sab. lib.* 5. *Enn.* 4.

Miro amore Demetrius Poliorcetes Lamiam deperiit, in omnibus illi quantumvis vetulæ obsecundans: ita ut non reliquis modò uxoribus, sed amicis quoque æmulationem & invidiam moveret. Mirumque adeò fuit, eum, qui Philæ desflorescente ætate offensus fuerat initio, succubuisse Lamiæ, & tamdiu jam vergentem annis dilexisse. *Plut. in Demetrio.*

DEMETRIUS rex successionis Alexandri extremus, Myrinam amicam habebat Samiam: quæ diademate excepto, totius imperii communem habebat auctoritatem, ut asserit Nicolaus Damascenus. *Athen. lib.* 13. *c.* 23.

C. FLAMINIUS, vir consularis quidem, sed libidinosissimus, cùm Gallum transfugam unà cum uxore & liberis hospitio suscepisset, in ipso convivio, ut scorto gladiatoriorum ludorum specimen flagitanti obsequeretur, coram interfecit, dum cu- F ravit. *Livius.*

GALEACIUS Mantuanus, vir impiger, Papiæ cùm hybernaret, fortè in ponte puellam, quam unicè amabat, obviam habuit. Ea, ut per blandam aliquam jocandi speciem amantem ad colloquium invitaret: Quin tu, inquit, bellissime amator, qui tantùm tibi armatus in acie places, è ponte in amnem amoris gratia desilis? Hoc ille audito, concitato repentè equo sese dimisit in fluvium. Equo exanimato, vix Ticino ipse natabundus emersit. *Pont. lib.* 1. *c.* 25. *de Fortitudine.*

Defensionem.

PERICLES, cùm Aspasia Megarensis de impietate accusata in exilium abisset, multa pro illa verba faciens, lacrymatus est magis, quàm si ipsius vita periclitata fuisset. *Athenæus lib.* 12. *cap.* 13.

Galli pro amicis levissimè offensis, auctorem injuriæ in certamen provocant, pugnæ legibus propositis, interdum adeò duris, ut in certamen prodeundum sit, corpore majore parte exarmato: concurrendumque hastis & equis primò, deindè pedibus res gerenda, cominus gladio ac securi. *Pont. lib.* 1. *c.* 25. *de bellica Fort.*

Donationem. G

☞ *Vide Tit. Prodigi in venerea.*

DEMETRIUS Poliorcetes Lamiam amavit jam vetulam. Hæc scorsum cœnam regi parans, à multis pecuniam comparavit: atque ob immensos sumptus usque adeò fuit illa celebrata cœna, ut eam Lynceus Samius mandaverit literis. Quamobrem Lamiam comicus quidam appositè veram Helepolim vocavit. Demochares Salius Demetrium fabulam appellavit, quòd ei Lamia quoque esset. Quum de ea rex apud Mamiam, quæ & Demo dicebatur, gloriaretur, & appositis bellariis diceret, Vides, quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, ubi mittentur à matre mea, si velis cum ea dormire. Notans, anus solere donare iis à quibus subiguntur. *Eras. l.* 6. *Apoph.*

Abutebatur C. Jul. Cæsar uno tempore matre & filia, nomen matri Servilia, quæ M. Bruti genitrix fuit: quam, ut ait Svetonius, ante alias dilexit, & cui super alias donationes margaritam ingenti pretio mercatus est. Filiæ nomen Tertia, quæ ipsius soror Bruti, & C. Cassii conjux erat. Cùm itaque bona civium sub hasta venderentur jussu Cæsaris, & H Servilia magni valoris prædium exigua pecunia comparasset, lusit Cicero: Equidem quò meliùs emptum sciatis, comparavit hunc fundum Servilia, Tertia deducta. *Macrob. lib.* 2. *Saturn. cap.* 2.

RES. LIBIDINIS INCENTIVA

varia. Puta,

IMAGINES.

PARRHASIUS, pictor Ephesius clarissimus, minoribus tabellis libidines pingebat, coque genere petulantis joci sese reficiebat. *Plut. lib.* 35. *cap.* 10. Ejus certè tabulam Tiberius Imp. in qua Meleagro Atalanta ore moriganatur, legatam sibi sub conditione, ut si argumento offenderetur, decies pro ea H-S. acciperet, non modò prætulit, sed & in cubiculo dedicavit. *Suet. in Tiberio.*

Hostius

A Hostius obscenitatis princeps usque in scenam productæ, (quod ex Seneca est) dives avarus, libidinis præfervidæ, Augusti temporibus tam virorum, quàm feminarum avidus. Etiam specula confecit, quæ omnem fœditatem velut in imagine representarent. *Cælius lib.* 14. *c.* 3. *Antiq. L.*

SURENAS Parthorum dux, victo M. Crasso, in direptione castrorum lascivos libros Aristidis, Milesiacos inscriptos, in Roscii impedimentis reperit: eosdemque Seleuciensium Senatui coacto ostendit, ad Romanos fugillandos, qui ne in bello quidem ab hujusmodi nequitiis abstinerent. *Plut. in Crasso.*

Heliogabalus primus schematibus libidinosissimis inquinata ex argento vasa jussit apponi. *Cælius lib.* 28. *c.* 8.

SCRIPTA.

Ovidius 2. *Tristium* sic de suis libris scribit:

Crede mihi, distant mores à carmine nostro:
Vita verecunda est, Musa jocosa mea est.
Nec liber indicium est animi, sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.

Martialis lib. 1. similiter:

B *Innocuos censura potest permittere lusus.*
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

CIBI.

ANDRONICUS Comnenus tyrannus medicamentis libidinem accendebat, virilia unctionibus & deliciis firmans. Vescebatur item scinco ad tentiginem excitandam. *Nicetas lib.* 2.

FLAGRA.

Ioannes Picus Mirandulanus lib. 3. *contra Astrologos*, refert historiam de quodam sibi familiari, qui cùm summo mulierum desiderio arderet, priùs tamen flagello in aceti maceratione per diem atque noctem durato ad sanguinis usque largam profusionem cædebatur: quo sæviora infligebantur verbera ab amasia in id officium multis precibus sollicitata, eò acrior vis libidinis excitabatur. *Cæl. lib.* 11. *c.* 15. *A. L.*

* Idem à se inventum, dum officii causa visitando circuiret prostibula, ut fit in celebrioribus civitatibus; ut nempè scorta virgis cæderent adolescentes, aut alios qui se illis adjunxerant, oculatus testis aliquando narravit, primariæ civitatis in Belgio prætor. Quamvis crediderim, æstum libidinis facilè remissu- C rum, si validioribus brachiis & flagris cædendi facultatem permitterent. Sunt nihilominus viri religiosi & diu mortificati, qui censent, disciplinarum in religione usum non tam efficacem fræanandæ carni, quàm jejunia & inediam ab alimentis. Hæc enim vitales spiritus & calorem extenuat, & sanguinis ebullientis virtutem elidit, ut experientia innotuit.

☞ *Vide infra Libidinis remedia.*

IMPUDICITIÆ ET LIBIDINIS CULTUS,

QUOAD ALIOS. ET VEL

ABSQUE CERTAMINE.

Huc pertinet

ALIORUM PUDICITIAM ODISSE.

☞ *Vide Tit. Vltionis Zelotypæ. Item actus in ulciscendo.*

D Uxor Putipharis magistri Equitum Pharaonis, Joseph de stupro sollicitavit, & eundem consentire nolentem, de stupro accusavit. *Genes.* 39.

DEUCALION, maximus natu filiorum Minois, Cretæ imperavit. Is inita cum Atheniensibus belli societate, Phædram filiam Thesei despondit. Qui cùm post ductam uxorem Hippolytum ex Amazone genuisset, in Trœzenem misit sorori Æthræ nutriendum. Ex Phædra Athamantum suscepit, ac Demophoontem. Hippolytus, cùm Athenas ad mysteria venisset, à Phædra propter pulchritudinem amatus est. Mulier repulsam passa, Thesium de vi sibi à privigno illata persuasit: Ille à Neptuno patre petiit, ut Hippolytus à phocis, hoc est, vitulis marinis dilaceraretur. Quod cùm factum esset, Phædra laqueo se exanimavit. Extabat adhuc Pausaniæ tempore in Attica terra myrtus, cujus folia crinali acu Phædra transfixerat, ex amoris ægrimonia delitans. *Pausan. in Atticis, & Diodor. lib.* 4. *c.* 5.

MELITUS cùm Timagoræ Atheniensis pueri amore flagraret, & ab eo jussus, canes bonos venaticos peregrè adduceret, equum hostilem cujuscunque generosum & ferocem, alterius elegantem chlamydem, aves item altiles, & servos miro genere natos: cùm omnia perfecisset, Timagoras autem ea opera re- E pudiasset, Melitus incitato cursu in arcem se proripuit, & ex ea se præcipitem dedit. *Svidas.*

ARSINOE noverca Agathoclem privignum propter denegatum incestum interfici curavit. *Pausan. in Atticis.*

FLORA meretrix, Cn. Pompejo familiaris, à Geminio Pompeji amico attentata, nonnisi concedente Pompejo eum admittere voluit. Cùm Pompejus concessisset, ipsam tamen nunquam posteà vel attingere vel convenire voluit. Id illa non levitate meretricia tulit, sed ex mœrore & desiderio quoque ægrotavit. *Plut. in Pompejo.*

OTHONIS III. conjux Maria Aragonia, cùm à nobili quodam, quem jam amplexum pellicere conabatur, se contemni videret, accusavit illum apud Cæsarem de tentata pudicitia. Cæsar credulus jussit illum gladio cædi. Moriturus ille innocentiam suam Deo commendavit, uxorique suam fassus innocentiam occubuit. Illa caput viri rapiens, ad Cæsarem pro tribunali sedentem accurrit, de iniquissima oppressione judicium petens. Versus in eam Cæsar, ait: Quis te mulier læsit? Tum illa projecto in medium capite: Virum, inquit, virum hunc mihi per summam injustitiam abstulisti. Idque ferri candentis F periculo probavit. Stupuere qui aderant: præsertim cum meminissent, lac loco sanguinis fluxisse, quum miles ille gladio cæderetur. Cæsar re diligentiùs perspecta, Imperatricem jussit cremari, & semetipsum magno ære multavit, rependens mulieri pro morte viri aliquot arces. *Crantz. lib.* 4. *Saxon. c.* 26.

LIBIDINEM PROPAGARE.

Laudando, Commendando.

CHRYSIPPUS in lib. de Rep. Diogenem fert laudibus, λαθδάζοντα, jactantemque ad coronam, Famem utinam æquè propulsare queam. *Plut. in Stoicorum pugnis.*

Præmiis afficiendo.

TIBERIUS Cæsar T. Cæsonium Priscum equitem Rom. & censorium, novo officio à voluptatibus præposuit, & omnes alicujus in venere inusitati modi inventores præmiis affecit. *Svet.*

Fovendo, Promovendo.

☞ *Vide supra, Magistri Libidinis concessione.*

FLORAM meretricem dilectiss. Cn. Pompejus Geminio suo familiari roganti concessit: verùm nunquam posteà ipsam, G quamvis amare videretur, attigit vel convenit. *Plut. in Pompejo.*

Non puniendo.

☞ *Inæqualitatis nomine ad Injustitiam pertinet hic Titul. Quatenus verò Impudicitia illius veluti basis est, hujus quoque erit loci.*

Benjamitæ, cùm Gabaensium facinus, qui Levitæ uxorem hospitis ad necem usque constuprarant, vindictam reliquis Israelitarum tribubus deposcentibus, non modò non vindicassent, sed & deferendum suscepissent: post varias clades ad internecionem ferè deleti sunt.

Trojani, repetentibus Helenam Græcis à Paride raptam, reddere recusantes, semetipsos funditùs perdiderunt.

PHILIPPO Macedonum regi Pausanias stipatorum unus mortem intulit, quòd cùm de stupro sibi ab Attalo cognato illius illato apud eum quereretur, non vindicasset. *Diod. lib.* 16.

SCEDASUS vir tenujum fortunarum Leuctra viculum agri Thespiensis habebat. Huic filiæ duæ erant, quæ Hippo & Miletia, vel, ut alii, Theano & Evexippe vocabantur. Erat vir humanus Scedasus, & quamvis in re parva hospitalis. Hic H Spartiatas duos ad se divertentes excepit benignè. Quos puellarum amore captos, à vi eis inferenda deterruit. Scedasi comites postero die Delphos, quò tendebant, profecti sunt: sciscitatique Apollinem, quorum de causa venerant, retrò domum concessere, ac itinere per Bœotiam facto, declinaverun iterùm ad Scedasi ædes. Ille fortè peregrè erat: cæterùm filiæ ex solito instituto hospites exceperunt. Qui puellas, quas deprehenderunt solas, per vim stupraverunt. Eas cùm viderent supra modum ea contumelia infensas, peremerunt, abjectisque in puteum, recessere. Reversum domum Scedasum, ut puellas desideravit, omnia autem quæ reliquerat, invenit salva, res suspensum habebat: dum admurmurante canicula, identidemque ad eum accurrente, atque ab eo ad puteum regrediente, conjecit id, quod erat, ac filiarum cadavera extraxit ex puteo. Ut verò intellexit ex vicinis pridie visos, quos nuper hospitio acceperat, Lacedæmonios ad ipsum ingressos: illos facinus patrasse conjecturam capiens ex eo, quòd nuper fine fine laudassent puellas, beatosque dixissent, qui earum essent potituri nuptiis: Lacedæmo-

A dæmonem ad conveniendum ephoros profectus est. Ut appulit in fines Argolicos, appetente nocte, ad cauponem quendam divertit. Eodem quidam alius senex declinavit ex oppido Oreo Hestiæatidis. Quem gementem diraſque Lacedæmonios imprecantem cùm Scedasus audisset, requisivit, Quid mali ipsi intulissent Lacedæmonii? Ille exposuit ei, sub ditione se Lacedæmoniorum esse; Aristodemum autem, qui ab Lacedæmoniis Oreum missus erat præfectus, multa sævitiæ exempla & improbitatis edidisse. Amans, inquit, filii mei, postquam gratia nihil efficere apud eum potuit, ad vim est conversus, aggressusque eum ex palæstra abripere. Insistente ei magistro, succurreniteque adolescentium caterva, in præsentiarum quidem recepit se Aristodemus: postremò completa triremie, adolescentem corripuit, trajecirque in ulterius litus, ubi eum stuprare aggressus est: non permittentem jugulavit, regressusque Oreum convivia agitavit. Quare citò ad me delata, postquam justa corpori solvi, profectus Spartam conveni ephoros. Cæterum illi nullam mei rationem habuerunt. Quæ ut accepit Scedasus, perculsus est, suspicatus, nec se quicquam Spartiatas respecturos: deposuitque invicem hospiti suam calamitatem.

B Ille verò adhortabatur eum, ut ne adiret quidem ephoros, sed repereret Bœotiam, filiabusque tumulum conderet. Haud paruit tamen Scedasus, sed delatus Lacedæmonem ephoros appellavit. Quibus rem leviter ferentibus, appellavit reges, mox popularem quemque cum lamentis. Cùm autem nihil proficeret, volitavit mediam per urbem, manus ad solem protendens: hinc terram pulsans, furias ciebat: ad ultimum mortem sibi conscivit. Post tamen supplicia Lacedæmonii præbuere, ad Leuctras à Thebanis victi. *Plut. in Amat.*

Tiberius Cæsar, cùm senatus pœnam iis, qui luxuriarentur, constituere vellet, improbavit: eo addito, Præstare singulos certa ratione castigari, quàm commune omnibus supplicium irrogari: sic enim in præsentia quosdam metu dedecoris sibi temperaturos, ne vitia eorum palàm fierent. Ubi verò semel legem natura vicisset, nemini eam curæ futuram. *Dion. lib. 57.*

Callidius Bononiensis in cubiculo mariti nocte deprehensus, cùm ob id causam adulterii diceret, affirmavit se ob amorem pueri sui eò esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matris familiæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius: sed crimen libidinis, confessio intempe-

C rantiæ liberavit. *Valer. lib. 8. cap. 1.*

Auriga quidam Thessalonicæ, pincernam Butherici præfecti militarium copiarum in Illyrico Theodosii Imp. de pudicitia tentarat, & eam ob causam in vinculà conjectus erat. Veniens Thessalonicam Theodosius, curule certamen exhibuit: supplicavit ergo plebs, ut auriga (qui in eo certamine omnes superabat) solveretur. Quod cùm non impetrasset, seditione mota, plerosque ex Imperatoris principibus, & ipsum quoque Butherichum interfecerunt. Iratus ergo Theodosius, immissis in circum militibus, promiscuè quosvis usque ad septem milia interfici præcepit. *Niceph. lib. 12. cap. 40.*

CUM CERTAMINE.

☞ *Hic Certamina χρόνων veneream causa consideramus. In præcedentibus ea, quæ ad κτῆσιν faciunt, executi sumus sub Tit. Acquisitio libidinis Vitæ periculo.*

Laude Libidinis Certare.

Charicles Corinthius adolescens, & Callicratides Athe-

D niensis, Luciano judice, amoris patrocinium suscipiunt, ille feminei, hic masculi. *Lucianus*, atheorum omnium nequissimus, naturæ legem Charicli, at philosophiæ instituturn, si diis placet, Callicratidi adstipulari, impudentissimè decernit, *dialogo de Amoribus*.

Osculis Certare.

Apud Megarenses inter pueros vere ineunte osculorum certamen agebatur, quique suaviùs amantem esset osculatus, corollis onustus abibat. Edebatur hoc Dioclis Athenienſis honori, qui Athenis profugus fuerat præceptor, ac amatum in pugna protegens occubuerat, eo nomine à Megarensibus honorificè sepultus. *Celius lib. 15. c. 9. A. L.*

Ultione Libidinis certare. Tum

Vi. Verberibus.

☞ *Consule Tit. Crudelitatis Zelotypæ.*

Pitym puellam formosissimam rivales duo dii Pan & Boreas adamabant, dari eam sibi semicaper deus, dari eam sibi E rux instabat Boreas. Puella Pana potius quàm Boream, si liberta detur optio. Pani ergo cùm mox adhæsisset Pitys, impatiens repulsæ Boreas, deprehensam fortè solam in spatioso campo, saxo illisit moribundam: eam tellus intra gremium excepram, in arborem cognominem mutavit. Quamobrem ventos odio prosequitur Pitys, ejusque arboris folia levi aura insusurrant, quasi pavore & metu venti tremant. *Ex lib. 11. Dionysii Vicensis, Brodeus.*

Memmius quidam Romanus, cùm ageret Tarracinæ, mulierculam quandam deperibat, sed non citra rivalem. Cum hoc igitur cùm aliquando rixa incidisset, eò iracundiæ provectus est Memmius, ut Largii (nam id rivali nomen) brachium mordicùs arriperet. Ea res postea quando in popularem abiit jocum, faceti quidam φιλόγελοι senarium hunc in omnibus ejus urbis parietibus quinque literis notarunt, depictis tribus LLL. & duobus MM. videlicet ut advenis percontandi ministrarent occasionem. Itaque cùm M. Crassus Tarracinam aliquando venisset, admiratus novum litterarum ænigma, senem quendam oppidanum percontatus est, quidnam sibi vellent ejusmodi litteræ. Atque is exposita fabula verticulum explicuit: F

Lacerat lacerium Largi mordax Memmius.

Erasmus in Adagiis.

Stupro.

Ægypius (*ut est apud Bœum libro de Avium ortu primo*) Anthei F. Nomionis N. in extremis Thessaliæ habitans finibus, Timandram viduam pecunia data corrupit. Ægrè id ferens Neophron Timandræ filius, Ægypii æqualis, multis donis Bulidem Ægypii matrem ad se pellexit. Horam deindè cognoscens, qua ad Timandram erat Ægypius venturus, suam matrem domo emisit, & matrem Ægypii introduxit, se ad eam redituram simulans: itaque ambobus imposuit. Ægypius cum matre corpus miscuit, quam esse Timandram putabat. Eum somno jam captum Bulis agnovit, arreptoque gladio, oculos filio eruere & seipsam necare statuit. Apollinis interim voluntate somno Ægypius solvitur, intellectisque Neophronis insidiis, in cœlum sublatis oculis, optavit omnia secum aboleri. Jupiter porrò eos in volucres mutavit, factique sunt Ægypius & Neophro Ægypii, id est, vultures cognomines; minor ta- G

C men corpore Neopron. Bulis in Mergum abiit, eique Jupiter alimentum tale destinavit, ut nihil terra editum edat, sed tantùm oculis piscium, avium aut serpentum vescatur, quia filio Ægypio oculos erat ademptura. Timandra in Parum (siquidem is est Græcorum ægithallus) est mutata: neque unquam eodem loco hæ aves vitæ sunt. *Anton. Liberalis in transform.*

Syracusis duorum adolescentum familiarium alter amici scorto, quod fidei suæ erat creditum, dum ille peregrè agit, stuprum obtulit. Hic reponens illi injuriam, uxorem ejus stupravit. Ibi ex majoribus quidam in curiam profectus suasit, ut uterque urbe pelleretur, priùs quàm inimicitia sua velut contagione civitatem infectam perderent. Eum tamen non secuti, sed in partes discedentes, optimum reipublicæ statum ingentibus calamitatibus evertere. *Plut. in præcept. polit.*

Boleslaus II. Polonorum rex, rerum gestarum magnitudine clarissimus, victis Russis, & Kiovia eorum metropoli expugnata, deliciis urbis semigræcæ corruptus, maximorum malorum causam præbuit. Nam dum Poloni, regis ductu, Kioviæ nulla se nequitia & libidine, quamvis fœda & sibi insuetata pritiùs, abstinent; uxores eorum & filiæ domi relictæ, H non ferentes tam diuturnam virorum absentiam (jam enim septimum ferè annum in Russia & Hungaria militantes domibus aberant) tum etiam libidinibus eorum & injuriis irritatæ, flagitiis vicissim viros & propinquos suos pleraque ulciscuntur: nonnullarum etiam pudor & constantia partim blanditiis, & falsa extinctorum virorum persuasione corrumpitur, partim vi expugnatur, justa divini Numinis vindicta atque permissu. Hæc ubi viris in Hybernia renunciata sunt, cùm commeatum domos visendi à rege impetrare non possent, clam discesserunt. Rex veritus, ne Russi despecta Polonorum paucitate opprimendi sui consilium initent, pervenit Cracoviam, conceptam animo in desertores iram in apertum profert: à quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit; in cæteros autem bonorum confiscatione, aut diuturno carcere animadvertit. Sævit in mulieres, quæ culpæ affines esse videbantur. Abstractis enim & abjectis infantibus, quos è stupris & adulteriis enixæ erant, catulos ad ubera earum admovisse dicitur. Mox cùm libidine in dies magis efferaretur, & Stanislaum Episcopum Cracovienſem crudeliter interfecisset, regno

A regno pulsus, miserandum in modum periit. *Cromerus lib. 4.*

ADMISSIONE LIBIDINOSA CERTARE.

Admittendo Quosvis.

Lais æmula Phrynes, omnis generis homines admittebat, ex multitudine amantium gloriam captans. *Athen. lib. 13. c. 20.*

Quoties.

Messalina Claudii Imp. uxor, ut ad sacietatem sese venere expleret, Lycisca prostitutæ mulieris nomen mentita, sæpè lupanar sub noctem adiit, & cum famosissimis meretricii quæstus scortis coitu certavit, ex re fœdissima palmam sibi viginti quinque virorum congressu quærens. *Sabell. lib. 4. cap. 11.* Ut Satyricus inquit:

Et lassata viris, sed non satiata recessit.

Regulus Hydrorius, multorum liberorum pater, & maritus, cum Comite Melanopyrgæo, qui juvenis erat & cœlebs, B sponsione certavit, uter cum scorto expeditiùs venerem perficeret. Conscendunt equos, magno comitatu lupanar adeunt, unam quisque eligit è grege prostituto. Hydrorius cùm sese expeditissimum demonstrasset, ovans ad suos rediit, & νικητηρίου nomine poculum magni pretii, famosissimarum libidinum iconibus affabrè exsculptum, sic uti convenerat, à Comite accepit. Inunc & Messalinæ impudentiam admirate, cùm talia virorum monstra Christianus orbis perferat.

* LIBIDINIS MALA.

Et Poenæ a Deo inflictæ.

☞ *Desumi posset hic Titulus ex aliis, quibus varie Luxuriæ species explicantur. Nempe Adulterii, Incestus, Stupri.*

Quibus adiiciuntur sequentia ex sacris Litteris.

Primus polygamus inter homines fuit Lamech, qui binas accepit uxores. *Gen. c. 4.* Idem autem perpetravit homicidium, C duos enim occidit. Et tam propter libidinem, ex qua facilis est gradus ad homicidium; quàm propter ipsa homicidia, gravissimæ punitionis incurrit reatum. Ita enim fatetur, de Cain ultionem sumendam septies, de se verò septuagies septies. Nisi dicamus homicidium in eo fuisse pœnam libidinis.

In contextu genealogiæ Cain, advertunt Doctores, dici à Moyse, Cainitas generasse non filios, sed filias, utpotè in quibus vis generandi per profusam libidinem fuerat debilitata: sic ut filios generare non potuerint. *Genes. 6.*

Deus percussit cæcitate omnes qui Loth violentiam inferre, & abuti viris, hoc est Angelis sub forma viri ad eum ingressis conabantur. *Genes. cap. 19.* ita ut ostium domus invenire non possent, quod tamen effringere paulò antè voluerant. Addit *S. Chrysostomus*, ex Hebræo *Ilu*, id est, fatigati sunt; membra ipsorum fuisse luxata, ut vires motusque membrorum deficerent.

Accedit, quòd nulli Sodomitæ existimentur pœnituisse, sed omnes in flagranti crimine oppressi à voracibus flammis, quæ subitò eos corripuerunt.

Fuit etiam pœna maxima Sodomiticæ libidinis, quòd tota D Pentapolis quæ fertilis erat, & amœna instar Paradisi, post peccatum facta sit sterilis & squalida. Ferunt nasci hic propè mare mortuum poma specie quidem pulcherrima, at ocyùs in cineres & favillam convertuntur, simulac vel manu contrectantur.

Pari modo Deus Sichemitas homines impuros post stuprum cum Dina partatum punivit, usus audacia & perfidia Simeonis & Levi, tanquam instrumento. Quo sensu Attila se Dei flagellum nuncupabat. *Genes. 34.*

Ob incestum per Ruben commissum in patrem, deleri ejus posteritas, & penitùs exscindi merebatur: verùm in gratiam parentum ipsius, eam pœnam Deus mitigavit, ut pauci essent numero in ipsius familia. Ita dixerat Jacob: Effusus es sicut aqua (per libidinem scilicet & incestum) non crescas. *Gen. 49. Deuteron. 33.*

Incestus Herodis cum Herodiade, necem Præcursoris Domini est machinatus.

Adulterium Davidis cum Bethsabee, quæ mala illi ipsi peperit? Occisus Ammon à fratre suo Absalon. Salomon ad idolorum cultum deductus. Saræ 7. mariti occisi. Susannæ innocentia per senes impudicos traducta. E filiis Israel xxiv. millia interfecta, ob libidinem. Quin tota tribus Benjamin E deleta. Fortissimus Samson excæcatus. Fornicarius incestuosus ab Apostolo traditus Satanæ.

☞ *Pete plura ex Locis de Adulterio, Luxuria, & ex Titulis variis præsentis loci, §. Incestuosi puniuntur. Item multa ex loco de pœna, sive punitione.*

Ex Historiis Sacris.

Scribit *D. Greg. lib. 2. Dial. cap. 8.* de Florentino presbytero, qui invidens fœlicibus Ordinis S. Benedicti auspiciis, septem puellas nudas manibus consertis choreas agentes in hortum monasterio ejus vicinum immisit, ut monachorum mentes ad perversitatem libidinis inflammarent. At Benedictus minimè ignarus id propter se factum, illius improbitati cedendum ratus, cum paucis fratribus (majore suorum parte) locum deseruit. Quod ubi Florentinus stans in solario cognovit, vehementer exultavit; sed consestim solarium casu suo hominem obtrivit. Ita qui tum S. Benedicti vitæ per venenum, tum disciipulorum pudicitiæ per obscœnum spectaculum exitium mo- F litus erat, repentina tecti ruina oppressus, tum temporalem, tum æternam pertulit mortem. *Vide epitomen Postillæ P. Scherrii, in festo S. Magdalenæ.*

Cùm Episcopis Africanis Justiniani Cæsaris ævo ab Ariano Vvandalorum rege ob fidei constantiam linguæ exsectæ essent, vacuo tamen ore integra verba formantes clamabant: Ecce videte, linguas non habemus, & loquimur. Quorum unus, inquit *Greg.* Constantinopoli posteà in luxuriam lapsus, mox privatus est dono mirabili, recto omnipotentis Dei judicio, ut qui carnis continentiam neglexerat servare, sine lingua carnea non haberet verba veritatis. *Idem lib. 3. Dialog. cap. 32.*

Pallad. in historia Lausiaca, cap. 26. agens de S. Macario Alexandrino: Ego, inquit, ad eum accessi aliquando, & extra cellam inveni jacentem quendam vici presbyterum, cujus caput ita erat exesum à morbo qui dicitur cancer, ut etiam os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum (Macarium) ut curaretur, nec eum admittebat ad colloquium. Rogavi autem eum, dicens: Miserere hujus miseri, & saltem da ei responsum. Is verò mihi respondit dicens: Est indignus qui cu- G retur. Quòd si velis eum curari, persuade ei, ut deinceps abstineat à ministerio sanctorum sacramentorum. Ego autem ei dico: Quamobrem quæso? Is verò dicit: Fornicans factum peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Cumque spopondisset se facturum, sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus curatus est, capilliquè ejus creverunt, & sanus domum rediit.

De *B. Abbate Innocentio* ait *ibid. c. 103.* Cùm fuisset illustris in palatio inter Magistratus Constantini Imperatoris, mundo renunciavit, profectus à matrimonio, in quo etiam habuit filium Paulum nomine Domesticum, qui militabat. Is cùm peccasset in filiam presbyteri, imprecatus est proprio filio Innocentius, Deum rogans & dicens: Domine da ei spiritum, ne amplius inveniat ejus caro tempus peccandi: melius arbitratus eum pugnare cum dæmone, quàm cum intemperantia. Quod etiam factum est. Nam nunc quoque adhuc est in monte olivarum fœnum gestans, & castigatus à spiritu.

Cùm *S. Bernardinus* Senis concionaretur, velletque servari quod instituerat, ut suas haberent viri stationes separatas à fe- H minis, graviter reprehendit adolescentem, quem lascivia & curiositas in alienam partem transire pellexerat. Cùm reprehensione parùm proficeret, accensus zelo castitatis, quam semper fecerat maximi, divinam illi vindictam imminere prædixit. Nec aliter evenit; Ancone enim non multò post publico & infami supplicio affectus est. Rectè *S. Nilus orat. 2. adversus vitia*: Ad ignem potiùs ardentem quàm ad mulierem juvenem juvenis appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus resilies: At si feminæ verbis incensus fueris, haud ita facilè recedes. Florent oleta prope sata, & libidinis semina mulierum familiaritate excitantur. *In vita apud Surium.*

Auctor est *S. Greg. lib. 4. dial. c. 38.* Divitem quendam superbia tumidum, suæ carnis voluptatibus subditum, & in acquirendis rebus avaritiæ facibus accensum, tandem divinitùs gravissimo morbo fuisse oppressum, & cùm jam exhaustis viribus parum abesset à morte, ei apparuisse terribiles dæmonum formas, quorum ille terrore consternatus, elata voce exclamavit, ut omnes sibi opem ferrent: accurrit familia, accurrit filius vir religiosus, nihil videns. At ille tamen pergit cum grandi

A grandi pavore atque exanimatione insanire, & in omnes se partes versare, donec tandem nequicquam clamans, Inducias usque manè, inducias usque manè, moreretur.

Anno Christi 301. ut est auctor, cùm virgo Theophila in prostibulum traheretur à lictoribus, & jam ad probri & contumeliæ officinam violenter introduceretur, manus simul & oculos in cœlum tollens & miserabiliter adspiciens, Mi JESU, inquit, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ, vide eam quæ est tibi desponsata, ne prodas me bestiis, ne lupi tuam ovem lanient. Serva sponsè sponsam, meam conserva castitatem sons castitatis, &c. Hæc oravit cum lactymis, post ejiciens id quod habebat in sinu (id autem erat sacrosanctum Euangelium) aperuit, & dat operam lectioni. Unus verò ex intemperantibus cestro insano percitus ad eam ingreditur, qui aliquantisper quidem eam audivit legentem. Cùm autem jam propè esset, à maximo metu invaditur, & tremore valdè agitatur, & humi procumbit mortuus, & sic jacebat ad pedes Theophilæ suspirans. Multæ horæ præterierant, & cùm aliis visum esset, quoniam non exibat, eum non posse satiari virgine; ibi alius quoque ingredi-
B tur, ipse quoque jam prope stans, lucis quidem quæ verbis exprimi non potest, fulgore illustratur, deindè eum à luce tenebræ excipiunt, & obtutu orbatus, quærebat abiens non ampliùs virginem, sed quemadmodùm citra offensionem exiret extra fores. Cùm autem multi quidem talia passi essent, & nonnulli etiam magis horribilia, nulli fuit cordi ampliùs ingredi. Sed etsi quis ingrediebatur, non ingrediebatur capus amore, sed solùm volens scire ea, quæ & ad videndum erant terribilia, & ad dicendum aliis maximè admirabilia, puellam quidem honestè sedentem & libro incumbentem, adolescentem autem quendam propè eam stantem luce quidem ineffabili, pulchritudine verò incredibili, veluti quædam tela fulguris emittentem ex oculis. Hæc postquam viderunt, & metu obriguerunt, & vix tandem, Quis est sicut Christianorum Deus? exclamaverunt, & simul non ferentes spectaculum, rectè secum agi putabant, si fugerent, & celeritate maxima domo exibant, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli etiam ipsa impietate abjurata.

Anno Christi 409. Hispani ob impudicitiam de calice iræ Dei infelicissimè potari meruerunt, cùm Vvandalis traditi
C sunt. *Salvianus Massiliensis*, ejusdem ætatis Episcopus, pluribus prosecutus Gallorum scelera, quibus divinam in se concitarunt indignationem, mox de Hispanis: Digna, ait, *de Prov. Dei lib.7.* flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandam illis impudentiæ damnationem, ut Vvandalis potissimùm, id est, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captivitate Deus ostendere voluit, quantùm & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cùm & Vvandalos ob solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos ob solam vel maximè impudicitiam subjugaret. Quid enim? Nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? multi absque dubio, imò (ni fallor) omnes: sed ideò infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet non vires valere, sed causam: neque nos tunc ignavissimorum quorumdam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari, &c. Hæc *Salvianus*.

Viduam, ait *Augustinus*, in proposito continentiæ constitutam Celtichius quidam catechumenus juvenis rapuit, ut
D haberet uxorem. Antequam concumberet, pressus somno, & tertitus somnio, Sitiensi Episcopo eandem vehementissimè requirenti, remisit intactam. Vivunt adhuc de quibus loquor, ille baptizatus, & ipso in se facto miraculo conversus ad Dominum, ad Episcopatum mirabili probitate pervenit: illa in sancta viduitate perstitit. Hæc *August. ad Dulcitium de oct. quæst. cap.7.*

S. Prosper Aquitaniens lib.6. de sacerdotio: Quædam, ait, juvencula Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans, cùm in balneo lavans (Carthagine) simulachrum quoddam Veneris impudicè respiceret, & seipsam, eique se consimilans, domicilium diabolo præbuit: Statim ille leo qui rugiens circuit, quærens, quem devoret, & invenit. Meatus igitur gutturis ipsius occupans, nullum cibum nullumque potum trajiciens, per 70. fermè dies totidemque noctes jejunium sibi diabolus ex capto possessoque vase exhibuit. Hoc monstrum parentes puellæ per totidem dierum spatia auferri posse sperantes, tantum & tale malum ulteriùs tolerare minimè possunt, simul cum filia sese ingesserunt sacerdoti, quæ acta erant, fideliter intimantes (indicantes.) Hoc tantùm puella fatebatur, avem quandam noctis medio apparere, quæ sibi ore nescio quid in-
E funderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis diuturni jejunii fœdatam, nullo pallore, seu tabe vel debilitate confectam, quin potiùs robustam succo viscerum, moleque membrorum. Cumque incredibilia viderentur, quæ dicebantur, habito consilio, in monasterio puellarum, in quo reliquiæ S. Stephani fitæ sunt, Sacerdos puellam simul & Præposito commendavit. Illic prima tantùm die apparuisse illam aveuit, sibique increpasse, quòd neque fame, neque siti compulsa, illum appeteret locum, quò sibi accedere non liceret. Per duas hebdomadas nihil cibi vel potulenti sumens in monasterio mansit. Accidit autem, ut quintus decimus Dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum sacerdote, ut matutinum illic sacrificium solito offerretur. Puellam Præpositus ad altare perduxit, ex incessu & habitu quo solent rubore perfusæ ex epulis poculisque mulieres advenire. Sed ut se illa prostravit altari, clamore fletus sui cunctis astantibus gemitus lacrimasque induxit, quibus tantum malum auferendum præsens plebs Dominum exorabat; erat enim jam indecens murmur in populo. Peracto itaque sacrificio, cùm eadem inter cæteras brevem particulam cor-
F poris Domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens trajicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apostolus: Quæ consonantia Christi ad Belial? & iterùm: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Manu igitur faciem ejus sustentante sacerdote, ne Sanctum projiceret, à quodam Diacono suggestum est, ut calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret, quo factum est statim, ut locum illum, quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquerit. Sacramentum quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transglutiisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quòd post 80. & duos dies diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici. Oblatio igitur rursum gratiarum actionis pro ea fit, sacrificiique percipiens certam partem, prisco est reddita usui. Tunc etiam dum hæc aguntur, spiritu divino actus Diaconus ejusdem tituli statuam illam sublatam confregit in pulverem, omnemque insidiantis astutiam superavit divina Majestas.

Cum Dux quidam Barbarus jussisset, sanctam Flaviam tradi quibusdam lenonibus de exercitu suo corrumpendam, G sancta virgo in proposito firma, suspiciens in cœlum, ait: Deus, qui sedes super Thronos, & judicas æquitatem, esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut salvum me facias. Surrexit in me judex iniquus, mordens carnes meas canina rabie, misit truces manus ad verbera, pedibus appensa sum, fustibus acerrimè verberata sum, omnibus membris crudelissimè torta sum, fumus horridus sub me administratus est, impinguatur dux sævus sanguine meo; tuus est amor, tua est fidelitas, pro te hæc patior omnia: respice in me sancte Deus Sabaoth, ne polluant inimici famulam tuam, ne dicant, Prævaluimus adversus eam. Oravit, & ecce subitò divina virtus super virginem sanctam respiciens, suo illam munimine sespit. Nam cùm ad ducis imperium lenones sanctam virginem Flaviam vellent stuprare, vim ei inferre volentes, quicunque manus ad eam contingendam misissent, stupebant nervi eorum, & arefiebant manus & brachia illorum, & præ dolore ex intimo corde mugitum reddebant. Ipsa autem beatissima virgo Flavia, cum fuisset cum fratribus suis multoties cæsa, & pro Christi nomine torta, & diversis suppliciis affecta, immobilis in Christi fide permansit. H *In vita ejus apud Sur.*

Longinus Zenonis Imp. germanus pœnas nutu Dei exsolvit (anno Christi 498.) omnium turpitudinum, quibus, teste *Svida*, obrutus sacra profanaque simul fœdaverat. Nam à Prisco Comite captus, ait *Marcellinus in Chron.* Constantinopolim missus est, catenatusque per agentem circumductus, Anastasio Principi, spectante populo, ingens spectaculum fuit, variisque deindè cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ civitatem expensus est.

Udo Archiepiscopus Magdeburgensis, ut referunt *Annales & Centur. Magdeb.* nocte in summa æde à quodam Canonico illic in precibus pernoctante visus est divino judicio sisti, & propter stupra & libidines ad mortem temporalem & æternam condemnari, & post sententiam latam verè caput amittere, & cervice abscissa informis truncus jacere, peractoque supplicio, cœtus ille, à quo neci adjudicatus erat, ex oculis evanuit. Ac ne quis spectrum evanidam, cui nihil veritatis subesset, hanc visionem existimaret, maculæ quædam sanguinis ineluibiles in pavimento, ubi obtruncari videbatur, relictæ

A ctæ sunt, ipseque manè in lecto mortuus inventus est: cumque aliàs hæc pavimenti pars aulæo tegatur, semper in novi Episcopi inauguratione retegitur, ut is tam insuitatæ animadversionis monumentum inspiciens, admoneatur, Dei timorem & pietatem non impunè contemni. *Bredemb. lib.8. sacr. collat. cap.15.* refert hanc historiam prolixè ex Petro de Palude (*in Thesauro homil.*) Nauclero (*chron. vol.2. gen.34.*) Canisio (*lib.5. cap.20. operis Mariani*) Fulg. (*lib.9. cap.12.*) Lycosth. & aliis: contigit sæculo 10. Eandem historiam suprà ex Fulgoso recensuimus. *Tit. Libido Religiosa*, §. *Viraque persona Religiosa.*

Paulus Iovius Alexandrum Medicem Florentiæ ducem idcirco miserabiliter à cognato suo Laurentio in somnis interfectum esse ait, quia pro nihilo ducebat, Virgines sacras nefario concubitu polluere.

Onan filius Judæ, cum gravissimum crimen admitteret, Deo ultore subitò è vita sublatus est. Idcirco, ait Scriptura *Genes.38.* percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret (semen suum in terram funderet.) Cornelium Balbum, & Q. Eterium *Plinius* in flagitio morte oppres-
B sos, scribit *lib.7. cap.53.* Pindarum Poetam similiter obiisse vult *Fabius lib.9. cap.10.* Idem de Speusippo Platonico *Tertullianus* affirmat: de Tarentino quodam principe *Petrus Damianus.*

Ulyssipone in Lusitania virginem quandam perditus perditè deperibat adolescens, captata occasione in ejus conclave armatus irrumpit, solam sortè invenit, amorem fatetur, orat, miscet precibus dona, in omnem partem versat puellæ animum. Quam ubi obstinatam videt, ferrum è latere eripit, elatumque defert in pudicum pectus, additque minaciter, Hoc ego aut vitam tibi extorquebo, aut consensum. Mori mihi, inquit illa, millies præstat; simulque cum implorasset opem castissimæ Virginis, sexum audacia mutavit, mortuum latronem domo exegit, ictum amoris furore, & pœna divinitùs inflicta, ferro per summos cruciatus se mori vociferantem. Non multos post dies sanato utcunque vulnere, non autem morbo, quàm vehementer ulciscatur Deus expugnatores pudicitiæ, malo coactus didicit ipse, & suo alios docuit exemplo. Cum enim ad virginem iterum perrepsisset, & adversus aspernantem preces adjecisset minas, eaque iterum propi-
C tiam sibi Dei matrem clarissima voce invocasset; ecce tibi novo memorabiliter prodigio juvenis gravissimè vulneratus, oculisque caligine offusis cubiculo pedem effert, moxque necessariis sacramentorum subsidiis destitutus, repentina morte temeritatem luit.

In Austria anno 1591. Nobilis quidam impuro eoque magno & furori proximo distinebatur amore. Leviculâ correptus febri cum jaceret noctu lecto affixus, ante se videre visus rhedam flammiferam, subjectumque equum flagrantem igne: tum rhedarius, informe monstrum, tetrumque, atque ipso (utar verbo ipsius) malo dæmone truculentius, quo nil terribilius mortalium timori est: Quid cessas, inquit? quin conscendis currum dignum pro meritis tuis? Horruit miser subito pavore defixus, tandem recepto animo corripit gladium proximum lecto, vibratque, ut subveniatur interim magna voce domesticos inclamans; trepidi accurrunt famuli, domusque tota, sopore discusso, quin etiam exciti vicini nonnulli quærentes clamoris causam, dein prætexentes impositum fuisse auribus oculisque, formidini allevandæ. Verùm cum tremeret adhuc, esset in conspectu, nec finiretur me-
D tus, insinuaret se potiùs in pectora aliorum, intempesta licet nocte venitur ad Collegium, mittuntur duo qui aqua lustrali, crucis signo, & in cera consecrata imagine agni timorem tantisper leniunt, dum affirmaret æger dæmonem abscessisse in præsens minaci vultu, sævæque iræ manifestum: detectis deindè peccatis, turpi perindè amore quàm tristi animum terrore liberavit. *Bencius in annal. Soc. Iesu. Delr. disq. mag. l.6. cap.2. f.3. q.3.*

Refert *Vincentius in speculo morali* de quodam magno Comite, quòd cum inter alia flagitia fuisset enormiter luxuriosus, arripuit eum gravis infirmitas, ex qua intumuerunt ejus genitalia ad modum ollæ grandis, in quibus gravissimè afflictus Deum præ doloribus blasphemabat; & aliquando dicebat, se ideò talia in iis locis pati, quia de membris illis enormia egerat; nec tamen de hoc pœnitens veniam petebat, sed blasphemans fortiùs immundum spiritum emisit, absque aliquo Ecclesiæ remedio. *Lib.3. spec. moral. dist. 3. part.9.*

De alio item maximo Principe, qui prædicto fuit contemporaneus, refert idem Auctor, quod is in vita sua sese effudet in omne genus luxuriæ; undè gravi languore correptus, in E tabefactionem & desperationem & fœtorem intolerabilem cecidit: cujus fœtoris magnitudinem domestici ejus ferre non valentes, præ confusione in cameris suis eum claudebant, & occultabant, nullum ad eum ingredi permittentes. Quædam autem persona multa familiaritate & affinitate ei conjuncta, cui non ausi fuerunt custodes resistere, transiens ostia & custodias, ait: Ego volo scire, quomodo sit domino vestro; & intrans cameram invenit eum solum super cubile suum, & quasi super quatuor pedes procumbentem, & omnia interiora cum intestinis & fæcibus & fœtore maximo emittentem, & sine aliquibus pœnitentiæ signis animam exhalantem; quod sui occultantes alia finxerunt. Hoc autem terribile genus mortis vidit & scivit ille qui sic eum invenit, vir Deum timens; & judicio divino perterritus, aliquibus Deum timentibus revelavit. Sicut autem illi duo Principes contemporanei fuerun in vita, & moribus conformes, ita in morte, & creditur, quòd in pœna. *Idem ibid.*

Juvenis profligatus ac perditus, cùm nec parentum monitis innovare se vellet ad honestatem vitæ, in nocturnis tenebris post strepitum & fragorem ingentem videre visus draconem F horribili specie; & statim perterritus clamat ad astantem, Fer opem, draco deductis faucibus mihi interitum minatur: Mariam monitu adstantis cùm invocasset, diffugit tandem spectrum, audita vox, ut abjiceret farcinam peccatorum, adiret Societatis Jesu Patres, de tota vita consilium daturos. *Bonsin. lib.4. cap.11.*

Siffridus presbyter in Chronico suo narrat, anno 1260. accidisse, ut adolescens quidam in Misnia, ut suis potiretur amoribus, à Mago in locum ædium desertum deduceretur: cui cùm spectrum puellæ illius quam amabat imagine per malefici incantationes se obtulisset, amator ille perditus manum ei porrigens, à malo dæmone parietibus alliditur, & miserabilem in modum necatur, qui ejus quoque cadaver tanto in magum impetu projecit, ut semianimis longo tempore jacuerit. *Delrio disq. magic. lib.3. p.1. q.1.*

Idem Delrius lib.3. disquis. mag. p.1. q.7. In Flandriæ, ait, comitatu prioratus est. Tres ibi nomine tenus monachi degebant, re ganeones & concubinarii: sua cuique erat, nec pudor ullus aderat, simul helluarii & libidinarii: quidam die in seram noctem compotatione protracta, unus qui minùs scele- G rosus; Sat, ait, Baccho ventrique datum, Deo gratias saltem. Ego verò, subinfert alius procacior, cacodæmoni gratias ago, & agendas censeo, cui operamur. Et cum risu mensa relicta, in cubilia ruunt singuli cum scorto. Vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi janua reserata, dæmon magni, atri, & trucis in viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli, obambulat, & lectos circumspicit torvo vultu. Deindè horrenda voce, Ubi qui mihi gratias egit? adsum, referam: lecto abstrahit pavitantem, & fermè præ metu animam efflantem, traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probè assari. Parent promptè, assatur infelix, emoritur planissimè, cæteri ferè præ formidine: assi corporis nidore cubiculum impletur. Demùm venator ad superstites sub stragulis trepidantes, vix vivos: Digni vos etiam, ait, pari supplicio, nec deest voluntas mihi. Vetor vi majore, invitus abeo, & moneo resipiscere, aut manent terribiliora. Disparent larvæ, nec tamen his alius animus rediit, vel vox, nisi clara jam luce. Ubi surrexere, collegam inveniunt mortuum, & (ne visum inane putes) planè assatum. Haud scio, an aliquot seculis quidquam ad exemplum H utilius acciderit: scio locum & Ordinem, sed utrumque silentio involvo.

In Morinis vir nobilis Eximbaldus de Borbam, quem Comitem vocat *Cantipratensis*, & nos hanc de illo narrationem etiam alibi verbis nonnihil immutatis adducimus, lecto affixus, intellexit à nepote (filium alii contendunt) vi virgini vitium oblatum. Domini hæredem nemo accusare, multò minùs punire audebat. Quid faceret æger? justitiam negligat? Gladium illi in vindictam malorum Deus tradiderat, nepotem qui occidat, non reperitur. Si faciat ipse, fraude opus est, parricida vocabitur: Vocabor, inquit, sed ab hominibus, carnifex futurus sanguinis mei, sed justus ultor, sed justitiæ defensor in oculis Domini: an quia nepos, non nocens? successore carebo, providet Dominus cui servio, cujus gloriæ affectus meos postpono: sic animatus pugionem abscondit sub cervicali, vocat nepotem, tanquam ultima ei monita & mandata daturus. Venit adolescens quinto post die placatum sperans avunculum, accedit, postulantis capiti aurem admovet, ille pro osculo pugionem condit in gutture, nec desinit premere,

A mere, donec videt exhalasse. Hanc accipe victimam justitiæ Deus, addit, tibi immolatam. Scis, quæ in animo & visceribus meis doloris magnitudo obversans lancinet paternum amorem, sed vicit amor tui. Paulò post vires cernens deficere, obit exomologesin, tacet de cæde nepotis, quæ in ore omnium recens: quærit Episcopus silentii causam: Si oblitus, num saltem nunc se accuset, & animo pœniteat? respondit Burbathus, se justam credere, & quòd meritorium putet, id nolle infectum. Episcopus ejus pertinacia detestata (sic putabat) redit ad templum, de via revocat æger. Tum ait redeunti: Ut, Pater, quàm diversa Dei sint & hominum judicia, intelligant, qui tecum præsentes, aperi (quæso) hierothecam, in qua pignus salutis asservatum adfers. Recludit ille, nec hostiam reperit. Hanc admiranti æger se in ore, mediatore angelo datam, ostendit habere. Historia notissima est toti Belgio, non elegantis modò & accurati artificii picturis vetustissimis in Bruxellensi civica domo exornata, sed etiam historiarum monumentis contestata. *Delrius disq. Mag. l.4. cap. 4. q.3. Cantiprat. lib.2. c.36. p.6. Cæsarius lib.6.*

Hector Boethius Scotorum res describens *lib.* 8. in Marrea B regione restatur se ab iis qui conspexerant accepisse, quod ejus verbis, ait *Delrius lib.6. disq. Mag. c.2. q.3.* adscribam. Puella natalibus altis, forma conspicua, complurium nobilium aversata connubium, in nefandam cum dæmone incidit consuetudinem: quæ cum uterum ferret, parentum rigore coacta edere stupratorem, adolescentem mira pulchritudine frequentius secum noctu, interdiu nonnunquam, convenisse, unde venisset, quove abiisset, nescire se respondit. Parentes tametsi filiæ parùm crederent, accuratiùs rem advertentes, consilio quis esset, qui gnatæ expugnasset pudicitiam, explorandi, cognito tertio post die indice ancilla stupratorem adesse reclusis foribus, accenso tædarum ingenti numero, cubiculum ingressi, horrendum monstrum, figura supra humanam existimationem terribili in filiæ amplexibus sunt conspicati. Currere ocyùs complures ad fœdum excitati spectaculum, inter eos sacerdos probatæ vitæ, sacræ disciplinæ non ignarus, cæteris aut trepidè abeuntibus, aut pavore terræ illisis, cùm Christi Apostoli Joannis Euangelii initium recitare orsus, ad eum locum, Verbum caro factum est, perduxisset, malus dæmon horrendo sublato clamore cubiculi tectum secum C asportans, omni suppellectili incensa abiit. Fœmina periculo servata, enixa est monstrum undequaque fœdum aspectu, quale nusquam anteà, ut ferunt, inter nostrates visum: ad obstetrices, ne observatum contumeliæ esset familiæ, accensa ingenti pyra citissimè concremarunt. *Horat. Tursel. hist. Lauret. lib.4. cap.33.*

Quia Ottho III. Imp. contra consilia S. Hereberti Archiepiscopi Coloniensis (ut sibi caveret ab uxore sibi rebellantis, & ideò puniti Crescentii) deceptus pulchritudine, junxit sibi nobilem Romanam fœminam, quæ fuerat Crescentii uxor, in quem dirè sæviebat, & illa jam ex amatoriis pollicitationibus animo concepisset se ab eo in uxorem ducendam, ac dicendam imperatricem, post verò videret se deceptam, ultionis stimulis hæc agitata, molitur imperatori necem: venenum parat, chirothecis infundit, quas ei quasi pignus amoris dedit, quibus ille incautus usus morbo lethali confectus extinguitur. Non consideravit implacabile esse solere genus fœmineum, ut vindictam expetat, & dolosum, ut dissimulare sciat, & quòd dum blanditur, venenum paret. Cæca mens illecebris fœminæ semel capta, ut Sampsoni accidit, cum lumine privatur D & viribus, enervata languescens in tenebris, ferreis vincta compedibus jacet, donec ipse ut bos ad victimam ducatur infelix ad necem. *Baron. an. Chr.* 1002. *ex Ruperto Tuit. apud Sur. tom.2. die* 16. *Martii.*

Quia Henricus III. Imper. contaminatissimis erat moribus (quantæ enim turpitudinis fuerit, narrant illorum temporum scriptores, *Dodechinus*, *Marianus Scotus*, *Lambertus Schafenburgensis*, *&c.*) à Gregorio VII. excommunicatus est & imperio privatus circiter annũ 1077. quocirca filius ipsius Henricus IV. arma adversus patrem movit, insignibusque ipsum & augustali dignitate spoliavit, qua ab omnibus destitutus miserrimè decessit, & annos quinque ejus corpus jacuit insepultum.

Quia Regina Assyriorum Semiramis filii concubitum ausa fuit appetere, ab ipso fuit interfecta. *Justin. lib.1.*

Abdias lib.5. hist. Apostolicæ ait: Mortua Drusiana (Christiana & castissima uxore Andronici, quem etiam ad observantiam provocaverat castitatis, conjugii copulam mentis solùm charitate servans) atque sepulchro illata, cum in mortuam adhuc Callimachus (gentilis adolescens apud Ephesios) deperiret (quàm vivam de illicito amore compellarat, qua procaci interpellatione ipsa offensa præ mœrore obiit) Procuratorem Andronici pretio corrupit, ut sibi tumulum, in quo Drusiana condita erat, reseraret, corporisque adamatæ copiam faceret. Quod ubi proclive tandem impetravit, tentabat illicitum nefas corpori inferre defuncto, in quod non repentino quodam motu, sed furiosa quadam meditationis amentia latus: Etsi viva, inquit, coitus noluisti mecum subire consortium, mortuæ eam tibi tamen irrogabo injuriam. Itaque adhibito flagitii procuratore, adolescens furens cum sepulchrum fuisset ingressus, corpus primò involutum pannis exuere cœpit. Subjecit Procurator sceleris immanis: Quid profecisti infelix Drusiana, negando viva, quod mortua sustinebis? Ita sermone pariter atque opere geminabatur scelus. Et cum jam sublatis prope omnibus exuviis sepulturæ, solùm genitalis partis superesset velamen, commixtionem illicitam molitur immani juvenis libidine furens. Et ecce subitò, incertum undè, ingens serpens occurrit, cujus uno saucius morsu, sed magis diro furentis terrore perculsus, corruit juvenis, ita ut veneni frigore subitò omnis ejus vis evanuerit, supra quem statim serpens lapsum ascendens quiescebat. F

☞ *Vide suprà Tit. Libidinis fructus; ex quo multum locupletari poterit præsens Titulus.*

☞ *Item adduci potuerunt nonnulla ex Loco de Imperio. Tit. Excidii Imperiorum causæ variæ, &c.*

☞ *Denique in Titulo Impudicitiæ cultus quoad alios, §. Libidinem propagare, non puniendo, refertur memorabilis historia huic loco accommoda.*

* LIBIDINIS REMEDIA.

EAQUE VARIA.

CONSIDERATIO DIFFICULTATIS

IN EA SANANDA.

In libidinis vitio curando maximam difficultatem senserunt G etiam viri sanctissimi, ideòque antidota varia conquisierunt, ut illam in se, si non extinguerent, saltem illius insultus superarent.

Difficultatem hanc exaggerans *S. Hieronymus*, *ita ad Eustochium* scribit: O quoties, inquit, ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solicitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat: in frigido corpore, & ante hominem suum jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant, &c.

HIERONYMO consentit. *Augustinus*, dum *in libro de honestate mulierum cap.* 2. sic loquitur: Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna & rara victoria. Grandem namque fortitudinem castitas inimicum, cui quotidiè resistitur & semper timetur. Quam autem ipse suæ conversionis tempore in hoc vitio difficultatem senserit, ipse tam lamentabiliter in libris Confessionum exponit, ut vel ex horrore capilli erigi possint lectori, maximè cum libido consuetudine longa jam callum quasi obduxisset: Dum servitur, inquit, libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

Palladius quoque *in historia Lusiaca c.26.* scribit, S. Pachomium optasse ferarum dentibus laniari, eò quòd 40. annorum solitudine, jejuniorum, aliarumque rerum asperitate non potuerit hunc hostem expugnare, licèt nunquam hosti succubuisset. Deindè *cap.* 22. B. Mosem è latrone Eremitam, cujus vita quondam parùm continens fuerat, nulla jejunii severitate potuisse lasciviam carnis domare; imò cum post sexennium jejunio vigiliis diuturnis, longas preces, multasque lachrymas junxisset, nihil tamen obtinuisse, donec tandem post exan-

A exantlatos alios multos labores, benedictione Patris sui spiritualis quietem aliquam, fremente licèt Satana, meruisset.

Quibus exemplis Deus videtur ostendere voluisse, quàm sit arduum, initum semel cum luxuria fœdus dissolvere.

ORATIO ASSIDUA, ET FERVIDA.

Hanc consulit *B. Hieron. epist. ad Eustoch.* Non solvatur, inquiens, fascia pectoralis, sed statim, ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo, quid faciat mihi caro. Cum paululùm interior homo inter vitia atque virtutes cœperit fluctuare, dicito: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me: spera in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Sic B. Susanna in angustiis constituta, ad solum Deum perfugium habuit.

Sic Apostolus ter Deum rogavit, cum stimulos carnis pateretur.

Sic Augustinus 10. *confess. cap.*19. clamavit: O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus B accende me! Continentiam jubes: Da quod jubes, & jube quod vis.

Sic B. Justina, teste *Greg. Nazianz. orat. in laudem Cypriani*, cum ejus pudicitiam attentaret Cyprianus Magus, deploratis omnibus aliis remediis, ad Deum, & B. Virginem Mariam confugit, & Magum Dæmon obsedit.

Sic S. Thomas Aquinas, cum procax scortum in ejus cubiculum immissum esset, statim auxilium Christi & B. Virginis imploravit, orans in hunc modum: Ne sinas quæso Domine Jesu, & tu sanctissima mater, & virgo Maria, ut tam immani me scelere obstringam. Et illicò titione ex igne rapto, illud fugavit, ostioque concluso, à duobus Angelis lumbos sibi constringi sensit, ad perpetuam continentiam servandam, quam & impetravit.

FUGA.

Optimum & maximè efficax remedium est Fuga, quam Apostolus suadet, scribens Corinthiis: Fugite fornicationem. Unde *Augustinus in sermone quodam Dominicæ* 25. *post Trinitatem*: Quòd libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cùm omnibus vi- C tiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, resistite, sed fugite fornicationem. Sic & alibi in Scripturis divinis legimus. Et beatus Joseph, ut impudicam dominam posset evadere, pallium quo apprehensus fuerat, reliquit & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.

S. Ambrosius de ejusdem Patriarchæ Joseph fuga scribens, ait *lib. de Joseph. cap.*5. Qui cùm ab uxore domini conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est. Contagium enim judicavit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis in centiva transirent.

☞ *Vide §. præcedenti de* S. THOMA *Aquinate.*

De S. Carolo Borromæo narrant, qui vitam ipsius litteris consignarunt, quòd cum juvenis esset forma oris vultusque pulcherrimus, gratia etiam sermonis vix parem haberet, sic ut honestæ matronæ, & puellæ illius indolem externis speciosi corporis bonis ornatam, consortiumque expeterent: D improbæ verò, illius conspectu exardescerent, & quavis occasione impudicitiæ suæ retia expanderent: ille tanquam maximè pudicus adolescens, & illarum consuetudine, nisi honestas cum amicis, & consanguineis subinde colloqui suaderet, abstinuit: has verò verbis minacibus fugavit, & velut pudicitiæ suæ hostes acriter insectatus fuit, etiam insidias illarum providè, & prudenter declinando, aut detegendo.

CORPORIS CASTIGATIO.

Eam exemplo Apostoli docemur, qui ait 1. *Cor.*9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne quando reprobus efficiar.

Hoc antidotum, teste *B. Greg. Nazianzeno*, usurpavit post preces B. Justina, cum à Cypriano Mago pelliceretur ad libidinem. Jejunii, atque humicubationis, inquit, pharmaco sese communiit, ut, formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret, sicque flammæ materiam subtraheret, ac libidinis facem absumeret: partim ut humilitate sua propitium sibi Deum & exorabilem redderet. Neque enim ulla re perindè, atque corporis animique afflictione, conciliatur Deus, lacrymisque misericordia vicissim rependi solet. E

Inò usurpavit & ipse Gregorius. Nam in carmine, quo deplorat animæ suæ calamitatem, ita loquitur in Cœlestem regem, qui omnia imperio tenet, supplex obtestor, ut corporis animæque bellum in me comprimat, nimirum præstabiliori parti, ut æquum est, deteriorem subjiciens, &c. ventri claustra impono, animum mœrore conficio, lacrymarumque vim profundo, sempiterno regi debilitata genua flecto, ac fordidatus incedo, &c. pro lecto mihi thorus est, pro linteis cilicium, & pavimentum lacrymis perfusum.

HIERONYMUS se hoc antidoto usum suprà confitetur. Omni auxilio in eremo destitutus, ad Jesu jacebam pedes, ait, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Memini me clamantem, diem crebrò junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessisse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas. Et infrà: Si quid itaque in me potest esse consilii, si expetto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversus adolescentiam prima arma sunt dæmonum. Facilè aliis carcemus vitiis, hic hostis nobis inclusus. Quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum flammæ adjicimus?

Cum malignus spiritus, teste *B. Gregorio lib.2. dial. cap.2.* S. Benedicto in dialogis speciem fœminæ, quam aliquando viderat, objecisset, tantoque libidinis igne animum ejus accendisset, ut penè de deserenda eremo deliberaret; abjectis illicò vestibus, nudum se in urticas, & vepres abjecit, & tamdiu in illis se volutavit, donec per cutis vulnera, inquit Gregorius, eduxisset vulnus mentis. Ex quo tempore, sicut post ipse discipulis perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid deinceps minimè in se sentiret.

S. BERNARDUS, ut legere est *in ejus vita apud Surium lib.1. cap.*3. & 4. antequam monasticen professus esset, fixus aliquando mulierem quandam erat intuitus. Ubi autem se collegit, tanta cupiditate vindicandi hanc curiositatem exarsit G ut subitò in vicinum lacum tempestate præfrigida desiliret. In eo immersus collo tenus usque eò constitit, dum exin sanguis tantùm non congelaciatus omnem libidinis calorem extingueret. Unde postea in religione, teste Gulielmo Abbate S. Theodorici vitæ ejus scriptore, ad cum statum pervenit, ut non modò caro se adversus spiritum non commoveret, sed spiritus etiam ultrò dominaretur carni.

S. FRANCISCUS, ut scribit *B. Bonaventura in ejus vita, cap.*5. circa conversionis suæ primordia, tempore hyemali in foveam glaciei plenam, seipsum plerumque mergebat, ut domesticum suum hostem perfectè subigeret. Aliàs verò apud eremum de Sarthiano nocte orationi vacantem, dæmon cùm tentatione libidinis accendere cœpisset, chorda se verberavit fortissimè, dicens: Eja frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum: cellam deinde ingressus, in medias nives se abjecit. Qua pœna sic ardorem extinxit libidinis, inquit ille, ut deinceps tale aliquid minimè sensit.

SS. Eremitæ, Martinianus, & Jacobus, internam libidi- H nis flammam ex præsentia meretriculæ, quæ per fraudem intempesta nocte in eorum cellas irrepserat, ortam, corporali incendio tum in se, tum in scorto depulere; cum alter sinistram manum, alter totum corpus igni ex sarmentis excitato immisisset, ut est *in eorum vita apud Surium.*

Utroque exemplo admirabilius est, quod commemorat suo sæculo in Hispania accidisse *Thomas Cantipratensis lib. Apum* 21. *cap.*30. de quodam Dominico, Ordinis S. Dominici monacho, qui ab impurissimo scorto invitatus ad concubitum, simul atque advenit, se totum in ardentissimas prunas lecti instar compositas abjecit, nec tamen ulla corporis parte læsus est: quo facto divulgato, mirificè familia Dominicanorum propagata est.

Narrat *S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ*, quomodo Thebaide in Ægypto, sub persecutione Decii & Valeriani, quidam Christianus, qui castitatem se Deo vovisse dicebat, inter flores molliter vinctus, & delicatæ culcitræ superimpositus fuerit, missaque impudentissima meretrix, quæ nudi

A corporis sui contactu ejus pudicitiam expugnaret. At ille præcisam morsu linguam in blandientis scorti faciem exspuit, & ita præ subito dolore, inferendum sibi vulnus non sensit. Natalis illius assignatur in veteri Martyrol. ad 3. Novembris.

CONSIDERATIO FOEDITATIS.

Fœditas hujus vitii tanta est, ut propriè ei competat nomen turpitudinis & flagitii; cujus causam reddit *B. Thomas Aquinas*, quòd omnia sensu, & cupiditate carnali, quæ nobis communis est cum bestiis, non ratione, metiatur. Unde & *Aristoteles Eth. cap.6.* aliique Ethnici Philosophi, luxuriam inter belluina vitia enumerant, ac divina Scriptura luxuriosos confert apud Psalmographum *Psalm.31.* equis & mulis, quibus non est intellectus, &c. Et apud *B. Petrum*, sui lotæ in volutabro luti.

Eorum verò actus appellantur confusiones, ut in epistola Apostoli Judæ: Fluctus feri maris, inquit, despumantes suas confusiones.

Et B. Paulus, Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Unde pudefacti refugiunt lucem, semperque reformidant, ne in fœditate sua deprehendantur. B

Clemens Alexandrinus in libris Stromatum Clem.4. comparat libidinosum centauro, qui sursum hominis, deorsum equi effigiem refert.

Ambrosius in libro de Abraham Patriarcha, causam reddit cur equo rectè comparetur: Equus enim, inquit, stare nescit, velox ad impetum, cervicem exaltans suam, inniens ad libidinem.

Raymundus Capuanus, Catharinæ Senensis Confessarius, scribit eam, si aliquando à viris vel fœminis opulentis, sed flagitiosis salutaretur, nihil respondisse, nec os aspexisse, imò tergum obvertisse, & dixisse, se ex anima illorum tantum fœtorem effragrantem sensisse, ut ad vomitum provocaretur.

Palladius in historia Lausiaca commemorat, S. Pachomium, cum dæmoni, qui in specie Æthiopissæ ad tentandum ipsum advenerat, colaphum infregisset, fœtorem manu contractum duobus vix annis eluere potuisse.

C Et S. Euthymius Abbas, ut refert *Cyrillus Monachus in ejus vita*, cum fortè transiret quendam, qui turpi suggestioni assenserat, tantum sensit fœtorem, ut à dæmone possessus videretur.

MEDITATIO NOVISSIMORUM.

Nihil sic, ait *Greg. Mag. lib.16. Moral.* ad edomandum desiderium carnalium appetitum valet, quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum, pensèt.

Et *B. Isidorus de summo bono*: Quando impulsu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini Judicii metus, & æterni tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirùm omnis pena gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpè recordatio ardoris gehennæ ardorem exclusit luxuriæ.

Idem remedium suis præscripsit, *teste B. Athanasio*, olim S. Antonius: Cessabit, inquiens, amor mulierum, libidinis extinguetur incendium, si ante oculos semper habebimus ultimæ retributionis adventum, quia major formido judicii, D & pœnarum timor horridus simul & lubricæ carnis incentiva dissolvit, & ruentem, quasi ex alta rupe sustentat.

Thomas Cantipratanus in libro Apum cap.30. tale narrat exemplum. Vidi sanctum virum M. Guidonem presbyterum Monialium Nyvellensium, de quo certissimè ferebatur, quòd cum in Schonegio Hannoniæ oppido scholas regeret adolescens, incautè semel fœminam contemplatus per annos tres, etiam ipsa mortua in tantum tentatus est, ut excepto eo, quòd vigilans substinebat, omni nocte in somnis crederet esse præsentem. Sentiens ergo diabolum circa se non cessare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, naresque & faciem in cœno putrefacti corporis tamdiu tenuit, ut penè fœtore nimio suffocatus, quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, ut nullum postea stimulum in carne sentiret.

Non absimile exemplũ habes *in Vitis Patrum* de pio Eremita Scythiæ, qui cum non ignoraret sepultam fœminam, cujus memoria sæpè animo recurrebat, ingressus sepulchrũ, abstulit putridi cadaveris partem, eamque panno involutam servabat, ut cum sentiret libidinis commotiunculam, hunc fœtorem subitò applicaret ad nares, non minore sui victoria, quàm sensuum molestia. E

Ita *in vitis Patrum lib.5.c.1.num.7.* Abbas Joannes ait: Mane de omni virtute cogita, deque omni vitio mortificando: includens te sepulchro tanquam jam mortuus, ut videatur tibi proxima esse mors omni die.

Ibidem *cap.10. num.63.* Abbas Moses rogatus, qualis homo mortificat se? ait: Nisi posuerit homo in corde suo, quia triennium se habet in sepultura, non pervenit ad hoc verbum.

OTII FUGA.

Ezechiel exponens causam peccati Sodomorum, quod erat luxuriæ: Hæc, inquit, fuit iniquitas Sodomæ sororis tuę. Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.

Legimus, Dominum Deum idcircò noluisse omnes Cananæorum populos delere, ut erudiret in eis Israelem, hoc est, ut occupati in oppugnandis illis non indulgerent otio.

S. Hieronymus *in epist. ad Rusticum monachum*, scribit de seipso: Dum essem juvenis, inquit, & solitudinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram, quem cùm crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut alphabetum discerem, & frideritia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia. F

CONSULTATIO CUM VIRIS PIIS.

Hanc religiosis suadet *Cassianus Coll at.2.c.10.* causamque reddit: Quia non valebit, inquit, ignorationi ejus (religiosi) callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illicò namque, ut patefacta fuerit, cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens tetterrimus, velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde.

Illustre autem hujus rei exemplum exstat apud *beatum Hieron. in epist. ad Rusticum monachum*, his verbis: Dicam aliud quod in Ægypto viderim. Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine flammam carnis poterat extinguere. Hunc periclitantem Pater monasterii hac arte servavit. Imperat cuidam viro gravi, ut jurgiis atque convitiis infectaretur hominem, & post irrogatam injuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium. Nullus alius credere veritati, solus Pater defensionem suam callidè opponere, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? ita annus ductus est. Quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret. Papæ: inquit! Vivere mihi non licet, & fornicari libeat. Hic si solus fuisset, quo adjutore superasset?

In *Patrum* quoque *vitis* ejusmodi narratur exemplum. Monachus quidam exagitatus à dæmone cogitatione fornicandi, nocte se contulit ad Patrem spiritualem, qui eum consolatus est; monuit, ut quoties tentatio repullulaseret, ad se quoque rediret; nihil enim æquè affligere dæmonem, quàm cum fœdæ cogitationes Patri spirituali patefiunt; contrà verò nulla re magis exultare, quàm earundem occultatione. Itaque factum est, ut undecies repetita tentatione redierit, ac tandem dæmonem fugaverit. H

---

* Licentia.

☞ *Vide* Libertas.

Definitio Et Etymologia.

Licentia est propria vitæ affectio, in possessione, & usu rerum minimè parca. *Speusip. de diffinit. Plat.* Sive, est facultas, secundùm quam aliquid licet.

Licentia est libertas immodica, impunitas agendi, dicédique quidquid velis: ἄνεσις, ἐξουσία, Hebr. *Risschajon*, indulgentia, venia, permissio, à verbo inusitato *Rasschab*, indulsit, dedit facultatem. Hinc ῥαστώνη, facultas, ῥαστωνέω, indulgeo, ῥᾴστος, indulgens, facilis. *Vide Esdr.3.7.* A

Licentia ubi est, ibi nimirùm quisque propriam vitæ formam constituit, prout cuique placuerit. *Plato de Republica dial.8.*

Licentia mater impudentiæ. *Plat. de leg. dial.3.*

—— Proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebris effrena favet: tunc vivere caste
Asperius, cum prompta Venus: tum duriùs iræ
Consulimus, cum pœna patet.
Claud.4. Honor.

Apophtegmata.

Lacon quidam cùm venisset Athenas, vidisset que illic præcones, qui muriam promitterent, qui obsonium, qui publicanos, & lenones aliasque parùm honestas functiones profiterentur, neque quidquam sibi turpe ducerent: ubi reversus est in patriam, civibus percontantibus, quomodo se res haberent Athenis? Omnia, inquit, honesta: per ironiam innuens, Athenis omnia haberi honesta, turpe nihil. Argutia dicti est in ambiguo sermone. *Plut. in Lacon. apoph.* B

Agesilaus notans præposteram licentiam eorum, qui Asiã incolebant, de ejus gentis corruptis moribus dicere solebat: Inter illos qui improbi essent, eos esse liberos; contrà qui probi essent, eos esse servos, quòd ubi licerent omnia virtus odio haberetur.

M. Cato studiosè magistratum semper admonere solitus est, ut delinquentes in Republica graviter castigaret. Sentiens, nihil perniciosius esse in Republica, quàm licentiam, quam adeò non ferendam in civitate putavit, ut indicaret magistratum lapidandum, qui coercere posset, non tamen faceret. *Plut. in Rom. apoph.*

M. Antonius Verus dicebat, difficile esse, in maxima licentia moderari sibi, & cupiditatibus quasi frenos imponere. *Herodianus lib.1.*

Antonius Caracalla. Ejus noverca cùm esset pulcherrima, veluti per impudentiam corpus magna ex parte nudavit. Cùmque dixisset Caracalla: Vellem, si liceret. Si libet, inquit illa, licet. An nescis, te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Ea mulieris vox Caracallam Imperatorem ad detestabile facinus pertraxit. *Ex Ælio Spartiano.* C

Horat.3. Carm.24.

O! quisquis volet impias
Cædes, aut rabiem tollere civicam.
Si quæret pater urbium,
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Ter. Heaut.

Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcumque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit præsumi, an rectum fieret, quod petet.
Dare denegaris, ibit ad illico,
Quo maximè apud te valere sentiret:
Abiturum se abs te esse illico minabatur.

---

* Lictores.

Definitio Et Etymologia.

Lictores dicti ab officio ligandi, ῥαβδοῦχοι Græcis, quia, inquit *Plut.* sequebantur initio Romulum, qui lora gestabant in finibus, quibus vincirent sontes. Vel intercepta litera C, quasi primùm litores, & liturgi, hoc est qui publica exequerentur ministeria. Liton enim in pluribus Græcorum legibus pro publico ponitur. *Plut. in Romulo.* D

Apud Romanos, consulibus, & prætoribus fasces, & secures ligatas præferebant.

EORUM DISTINCTIO, MUNUS, ELECTIO, Usus Varius, Habitus.

Sunt qui lictores confundunt cum iis ministris Justitiæ, quos Viatores, Apparitores, & Carnifices appellamus.

Eligebantur tamen è viatorum collegio, ut scribit *Gellius lib.2.cap.3.* & viatores *Valer. Max. lib.9.* nominat. A carnificibus *Liv. lib.3. Dec.1.* cùm ait de Appio Claudio, quòd carnificibus, non lictoribus stipatus erat, videtur lictores dijinguere. Sed profectò lictor carnificis officio fungebatur, teste *Nonio, Marcello, & Val. Rufo, apud Gell. lib.2. cap.3.* & E pleraque Grammaticorum parte, atque prisco illo carmine, apud *Cicer. orat. pro C. Rabirio, & Livium l.1.*

Lictor colliga manus, deliga ad palum, &c.

Et cùm Magistratus, quem præibant, submovens à via prætereuntes, ut foret liber aditus, imperaret, fasciculum solvens, in quo securis ligata erat cum virgis: is cædebat primò damnatum, mox securi feriebat. Quamvis in urbe invidiæ Consulum minuendæ gratia, dempsit fascibus secures Valerius Poplicola. Ipsemet Livius: Missique lictores, ait, ad summendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt. Et nihil apud *Sueton. Tacitum*, aliosque frequentius, quàm ut lictori tribuatur animadversio, & punitio.

Viator propriè non animadvertebat, aut cædebat, sed jussa tribuni, cui ministrabat, vocabat solùm, vel impediebat, ac prehendebat, ut docet apud *Gellium Varro lib.13.c.12.* Generale nomen est apparitorum, & publicorum servorum, sub quibus continentur, quos adhuc diximus, omnesque qui in jure civili appellantur nomine officii, & officialium, sive quilibet Magistratuum ministri, sattellites, stipatores, calatores, quasi vocatores, vel convocatores, lorarii, emissarii, F ostiarii, sive admissionales curiæ, præcones, accensi, interpretes, cursores, nuntii, bajuli, de quibus *Carolus Sigonius 2. de jure Romano, c.25. Petrus Gregor.31. Syntagm.38. & l. 47. cap.40. Bartholomæus Chassaneus, & alii recentiores.*

Hi præsertim lictores, carnifices, apparitores, Brutii, sive Brutiani, aut Brettiani, Græcè βρέττιοι vocantur: quia ex Brutiis erant, quos ei muneri mancipavit Senatusconsultum, eò quòd primi stipatores fuissent Annibali, quemadmodum annotatũ est à *Festo de lingua Lat. & Gellio lib.10. c.3.* ex auctoritate Catonis, & à *Strabone lib.5.* sicut & Picentes, atque Lucani pari de causa viatore ac tabellariotum loco habiti sunt.

Vetus Glossarium sic describit Brutianos, seu βρεττίους οἱ δημοσίοις πάσιν χρώντες, qui servilibus muniis destinati sunt. *Fulgentius lib. de Prisco serm.* Placiades appellat Gerones, quia presto erant ad jussa, maximè ut in reos animadverterẽt.

Incertum ducit *Baron. tom.1. Annal.* anno Christi 34. Hinc seu Brutii, seu Piacentes, aut Lucani flagellaverint Christum: nam Alexandrinos honoris causa soli cædebant Alexandrini, ut prodit *Philo in Flaccum*: Cæteros in Ægypto Præsidum G lictores. *Tertul. de coron. milit.* quoque significat munus puniendi sontes obitum promiscuè à militibus.

Euangelia demùm *Matth.27. 27. Marc.15.16. Luc.23.36. Ioan.19.2.13.32.34.* absolutè vocant milites, à quibus flagellatus, & crucifixus est Christus.

Græca vox τῶν ῥαβδούχων, quę hic habetur, & ei similis ῥαβδοφόρος, à virga gerenda est, nimirùm non ab eo virgarum tantùm fasciculo illigato cum secura in virga, seu bacillo robustiores, sed præterea propter aliam distinctam liberam omni fasce virgam, quæ altera gestaretur manu, vel ad submovendum, vel ad januam tangendam, cujus usus utriusque profert *Lipsius* exempla in electa dissertatione de Lictoribus, *1. elect. cap.23.* & *Frissonius in formul. l.2.5.* & 8. Virgarium Glossæ nominant.

Magistratus colonici ac municipales, non tantùm urbani habuerunt usum lictorum; sed cum nudis virgis aut bacillis, non cum fascibus. Meminit *Apulei. l.1. Milesiarum*, *Cicero in Rullum*, *Patronius in Satyr. de Æviil. Thessaliæ*, de Duumviris, de Sexviris: *Spartianus* autem in *Severo*, de Legato Proconsulis Africæ. Sed *Lampridius* prodit, Alexandrũ H Severum instituisse, ut loco lictorum, seu apparitorum, ante Tridunum, vel Ducem, vel Legatum, præirent milites, ante primum quatuor, ante secundum sex, decem ante tertium.

Non est otium, aliarum in hac re gentium mores prosequi. Constat, quem Persarum Rex censeret interficiendum, zona cõprehensum tradidisse regiis apparitoribus, ut de Charidemo, quem Darius eo modo tradidit, auctor est *Diod. l.19.* Illud attingendum de Republica Hebræorum, aliter eorum reges fachitasse. Nam receptatores David sacerdotes voluit Saul à servis suis emissariis interfici; quod tamen præter Idumæum Doeg cæteri detractaverunt. *1. Reg.21.* David, nuntiũ mortis Saul ut unus de pueris percuteret, imperavit. *2. Reg.1.15.* Nec non aliis, ut Rechab, & Baana, interfectores Isboseth filii Saul. *2. Regum 4.14.* Bananias verò, qui jussu Salomonis occidit Adoniã, Jacob, & Semei, ex hoc eodem numero fortsan fuit, quamvis postea, interfecto Joab, illũ loco hujus exercitui præfecerit. *3. Reg.2.25.* Non negaverim tamen, quod *Baronius in notis Martyrologii vigesimæ septimæ Martii*, docet, ordinarium officium carnificis distinctum